

leges, si rem spectent mere profanam, neque ulla ex parte sacris canonibus adversentur, tacite approbatæ videntur, in cap. 1, ex De novi operis nuntiatione in quo legitur: « sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur... » Unde fit, ut iudex ecclesiasticus sententiam prolaturus de quæstione super re mere temporalis, de qua nihil a jure canonico reperitur decisum, non solum possit, sed debeat juri civili se conformare. » Ita Benedictus XIV,

## JUSPATRONATUS.

## SUMMARIUM ARTICULI I.

Juspatronatus quid sit, ejusque nomen, nec non nomen patroni quomodo varie accipiatur. — 2. Definitio juspatronatus. — Ejus multiplex divisio,

## ARTICULUS I.

*Juspatronatus, quoad ea quæ concernunt ejus naturam, divisionem et acquisitionem.*

(1. Nomen patroni et juspatronatus in jure varie, et præsertim tripliciter accipitur. Primo *patronus* accipitur pro advocato, et juspatronatus pro jure advocatiæ, unde patroni dicuntur, qui aliorum causas in judicio defendunt, eisque patrocinantur, de quibus fit mentio in l. 1, rem. 14, § Patroni, cod. De judiciis, in c. *Observandum* 1, caus. 15, qu. 2, et in cap. *Ex litteris* 6, De transactionibus. Secundo, patronus accipitur pro illo qui manumittit, seu liberum dimittit servum suum, et jus quod pro beneficio manumissionis acquirit in personam manumissi seu Liberti, juspatronatus vocatur, et de hoc exstat integer Titulus in ff. De jurepatronatus, et eod. De bonis libert. et jurepatronatus. Tertio patronus accipitur pro eo qui habet jus, seu potestatem a SS. canonibus concessam præsentandi aliquem ad ecclesiam, vel ecclesiasticum beneficium, et tale jus, seu potestas vocatur juspatronatus. Et solum de jurepatronatus hoc tertio modo sumpto habebitur sermo.

(2. Unde juspatronatus tertio modo sumptum definitur, quod sit *jus*, seu potestas nominandi, sive præsentandi clericum promovendum ad beneficium ecclesiasticum vacans. Est in re communis. Seu juspatronatus est jus honorificum, onerosum et utile, alicui competens in ecclesia, eo quod de Ordinarii consensu eam construxerit, fundaverit vel dotaverit; aut id a suis antecessoribus factum fuerit. » Ita Abbas in Rubric. De jurepatronatus, num. 3. Joan. Andr. ibid., n. 3, vers. *Si jus igitur sine calumnia*; Fagnan, lib. III. Decret. in cap. *Quoniam* 3, De jurepatronat., n. 31. Barbosa, lib. III. Juris Eccles. univers., cap. 12, n. 2, et alii apud ipsos. Dicitur autem jus honorificum, quia patronus habet honorem, ut ad beneficium sui juspatronatus alius non admittatur, seu in ipso instituatur, quam ille quem ipse præsentaverit superiori: dicitur *onerosum*, quia patronus tenetur defendere ecclesiam suam, ne ejus

in cit. oper. De synod. diocæs., lib. IX, cap. 14, n. 1.

Audiamus insuper Fagnanum in hæc verba: Ubiunque non reperitur aliqua dispositio juris civilis expresse immutata a jure canonico, non debemus inducere discrepantiam inter jus canonicum et jus civile, imo lex civilis servari debet etiam in foro Ecclesiæ. Ad cap. *Cum esset*, 10, ex De testamentis, n. 18.

Atque hæc in ejusmodi materia dixisse satis sit.

ad num. 18. — *J.* Juspatronatus quomodo acquiratur ad num. 41 — 42. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad num. 63.

bona depereant, eamque, cum opus fuerit, reparare atque impensis necessariis regere, cap. *Filiis* 31, caus. 16, q. 7, cum similibus: Dicitur *utile*, quia, si patronus vergeret ad inopiam, ecclesia teneretur eura potius alere ac juvare, quam cæteros alios pauperes, ex redditibus qui, detractis necessariis expensis, supersunt, c. *Quicumque* 2, caus. 16, quæst. 7, cap. *Nobis* 25. De jurepatronatus, cum similibus.

(3. Juspatronatus dividitur primo in hæreditarium, gentilitium, seu familiare, et mixtum. (4. Communis. *Hæreditarium* est illud quod transit ad quoscunque hæredes etiam extraneos, arg. c. *Quoniam* 3, De jurepatronatus. Sic Communis cum Rota recent. part. 5, tom. I, decis. 175, n. 3, et seq.; part. 7, dec. 72, num. 1, part. 10, decis. 293, n. 20. Barbosa loc. cit., num. 20; Covarruv., lib. II. Variar. resolut., cap. 18, n. 6. (5. *Gentilitium*, seu *familiare* est illud, quod competit, et relictum est solum illis de tali familia, vel in quo vocantur solum illi qui sunt de genere. Communis, cum Rota recent. part. 5, dec. 581, num. 4 part. 11, decis. 220, n. 4, 5, 7, 8, 9, part. 14, decis. 462, num. 1, et sæpe alibi; Barbosa loc. cit., num. 22; Ricc. tract. de jurepatronat., resolut. 232, n. 1. (6. *Mixtum* ex hæreditario et gentilitio est illud quod competit, et relictum est solum illis qui sunt hæredes, et de tali familia. Communis, cum Rota recent., part. 6, decis. 267, n. 6, part. 7, dec. 208, n. 1, part. 9, tom. I, dec. 185, num. 7, part. 11, dec. 254, num. 16, part. 19, tom. I, dec. 223, n. 16, et sæpe alibi.

(7. Juspatronatus esse gentilitium probatur et constat ex pluribus. Primo ex fundatione in qua fundator illud relinquit descendentes et successoribus de sua agnatione, familia, seu domo: Rota recent. part. 1, decis. 482, num. 1, part. 3, decis. 581, num. 4, part. 14, dec. 462, num. 1, et sæpe alibi. Secundo, ex præsentationibus factis a solis masculis, exclusis feminis et extraneis donec dicti masculi exstiterunt. Rota recent. par. 12, dec. 204, n. 13, part. 13, decis. 103,

num. 10, part. 14, dec. 515, num. 13, par. 19, tom. II, dec. 662, num. 17. Item quando in omnibus præsentationibus semper fuit facta mentio familiæ, seu domus, non autem qualitatibus hæreditariæ; Rota part. 4, tom. I, dec. 287, num. 12, part. 12, decis. 204, num. 5, part. 13, decis. 237, num. 8, part. 14, decis. 515, num. 9 et 10. Item ex præsentatione a Patre et filiis simul facta; Rota part. 4, tom. I, decis. 287, num. 7, par. 5, tom. I, dec. 385, num. 3, part. 6, decis. 166, num. 14, part. 13, decis. 103, num. 7, part. 14, dec. 515, num. 9. Tertio, probatur gentilitium ex ultimo statu; Rota, part. 12, dec. 204, num. 17. Qui ultimus status ob lapsum 40 annorum sufficit ad probandum juspatronatus gentilitium; Rota part. 13, dec. 237, num. 18, part. 14, decis. 515, num. 38. Quarto, probatur gentilitium ex sententia Ordinarii declarante illud esse de aliqua familia; Rota part. 1, dec. 482, num. 5, par. 19, tom. I, dec. 192, num. 7. Quinto, probatur gentilitium ex enuntiativis, seu assertionibus antiquis dicentibus verb. gr. « ad illos de tali domo et familia spectare; » Rota part. 18, tom. II, dec. 679, num. 4, part. 19, tom. II, dec. 662, num. 5. Sexto probatur gentilitium ex inscriptionibus antiquis in Ecclesia factis, vel etiam in Campanili existentibus; Rota part. 14, dec. 515, n. 12, part. 18, tom. II, dec. 676, n. 7. Item ex sepulcro constructo et ex insignibus familiæ insculptis, tam in pavimento, quam in pariete Cappellæ; Rota part. 19, tom. II, dec. 630, n. 31.

(8. Juspatronatus esse hæreditarium probatur et constat etiam ex pluribus: Primo ex fundatione, in qua a fundatore sunt vocati ad illud hæredes, nulla facta mentione de agnatione; Rota part. 7, dec. 275, n. 5. Secundo, probatur hæreditarium, si in illo Filius, vivente Patre, nullum jus habet; Rota p. 12, d. 204, n. 11. Tertio, probatur hæreditarium ex pluribus præsentationibus factis titulo hæreditatis; Rota part. 1, decis. 707, n. 6. Quarto, probatur, seu præsumitur hæreditarium, et non gentilitium, donec exhibeat instrumentum fundationis; Rota part. 19, tom. I, decis. 181, n. 9. Juspatronatus enim de jure præsumitur hæreditarium potius quam gentilitium; Rota p. 1, dec. 707, n. 8, part. 3, dec. 492, n. 7, part. 6, dec. 89, n. 1, p. 7, dec. 280, n. 5, part. 11, dec. 268, n. 1, et sæpe alibi.

(9. Juspatronatus esse mixtum probatur, et constat etiam ex pluribus. Primo, ex fundatione, in qua fundator expresse vocavit ad juspatronatum solum illos qui erunt et hæredes, et de tali familia una simul; Rota part. 6, dec. 267, n. 6, part. 7, dec. 208, n. 1, part. 1, dec. 254, n. 16. Secundo, si juspatronatus reservatum fuerit pro hæredibus descendentes per lineam masculinam; in ipso enim casu videtur fundator considerasse utramque qualitatem, hæreditariam scilicet et gentilitiam; Rota part. 19, tom. II, decis. 543, n. 6. Tertio, ex observantia plusquam centenaria, qua fuerint solum admissi ad præsentandum illi qui habuerint utramque qualitatem, scilicet hæreditariam et

gentilitiam; Rota part. 19, tom. II, decis. 583, n. 8. Quarto, si ex institutione requiratur in vocatis qualitas filiorum et hæredum; Rota part. 6, dec. 217, n. 1, vel si fuerit reservatum pro successoribus, et hæredibus sanguinis; Rota part. 11, dec. 254, n. 9. Hinc ad effectum succedendi in jurepatronatus misto requiritur utraque qualitas, hæreditaria scilicet et gentilitia, seu hæredis et sanguinis; Rota part. 6, dec. 267, part. 9, tom. I, dec. 185, n. 7, part. 11, dec. 254, n. 16, part. 19, tom. I, dec. 223, n. 16.

(10. Juspatronatus dividitur secundo in *activum* et *passivum*. Activum est ipsum jus, quod patronus habet præsentandi aliquem ad beneficium. Passivum est jus competens aliquibus de tali familia vel loco, quod si idonei sint, exclusis extraneis, per patronum necessario debeant præsentari. Communis cum Rota recent. part. 4, tom. II, decis. 84, n. 11. Barbosa lib. III, Juris ecclesiast. univers. cap. 12, num. 20. Moneta De commutat. ult. volunt., c. 10, n. 200, et alii passim. (11. Juspatronatus activum subdividitur in *personale* et *reale*; personale est, quod competit personæ patroni independentem a re aliqua, vel loco, ubicunque existat; reale est quod est annexum alicui certæ rei vel loco, v. g. castro, prædio, pago, et hujusmodi, et cum eo transit ad quemlibet, etiam non hæredem, qui rem talem emptione, v. gr. vel donatione acquirit. Communis.

(12. Juspatronatus dividitur tertio in *ecclesiasticum*, *laicale* et *mistum*: Communis. (13. Ecclesiasticum est illud, quod de bonis ecclesiasticis fundatum et erectum fuit, arg. cap. *Dilectus* 6, De officio legati, et c. Cum dilectus 28, De jurepatronatus; Rota part. 8, decis. 106, num. 6. Barb. loc. cit., num. 4. Gonzal. ad Regul. 8. Cancellariæ glos. 8, n. 5, et alii passim. Vel est illud, quod licet fundatum fuerit ex bonis laicalibus, fuit tamen, vel ab initio, vel postea translatum fundatione, testamento, donatione, aut alio quovis modo in ecclesiam, aut in capitulum, seu collegium ecclesiasticum canonicorum regularium, aut sæcularium, vel ad aliquam personam ecclesiasticam ratione ecclesiæ, dignitatis, aut beneficii; cap. unic. § Verum, de jurepatr. in 6. Rota recent. p. 2, dec. 541, n. 4. Gonzal. ad Reg. 8. Cancellariæ gloss. 18, n. 5. Garcias De beneficiis p. 5, c. 1, n. 552. Barb. l. cit., n. 10, et De offic. et potest. episc., allegat. 72, n. 28, et alii communiter. (14. Laicale est illud, quod laico vel etiam clerico, non ratione ecclesiæ, vel ecclesiastici beneficii, sed ratione proprii patrimonii competit. Communis, cum Glossa in Clement. *Plures*, De jurepatronatus, verb. *Præsentare*, Barbosa cit. cap. 12, n. 13. Moneta loc. cit., cap. 20, n. 220. (15. *Mixtum* est illud, quod partim nomine, seu ratione ecclesiæ ad clericum, partim titulo laicali, seu sæculari ad laicum vel etiam clericum pertinet, ac proinde ex utroque est mixtum. Est in re communis.

(16. Juspatronatus esse ecclesiasticum constat, et probatur ex pluribus. Primo, ex



fundatione et donatione de bonis ecclesiasticis. Rota recent. p. 8, dec. 106, n. 6. Hinc censetur ecclesiasticum, quando fuit fundatum a clerico non habente bona patrimonialia, vel aliunde quæsitam quam ex beneficio. Rota p. 1, dec. 615, n. 4, p. 3, dec. 273, n. 1. Barb. cit. c. 12, num. 5, et alii ibi citati. Secundo, quando Juspatronatus devenit ad ecclesiam, seu monasterium, et spectat ad priorem ratione ecclesiæ et monasterii. Rota p. 2, dec. 541, num. 4, part. 9, tom. I, dec. 298, n. 5, et dec. 329, num. 9. Tertio, quando est relictum religioso, seu monacho. Rota part. 9, tom. I, dec. 286, num. 12, part. 13, dec. 313, n. 7. Et hoc procedit etiam, quando Juspatronatus est relictum eidem religioso, non intuitu ecclesiæ, sed intuitu ipsius personæ; quia religiosus ob resistantiam voti paupertatis nihil habet patrimoniale, aut proprium, sed quidquid acquirit, monasterio acquirit, et eo ipso quod est delatum monacho, statim fit monasterii. Rot. cit. p. 9, tom. I, dec. 289, n. 11 et 12, per Jura ibi adducta. Quarto, quando presentatio spectat ad ecclesiasticum. Rota p. 8, dec. 88, n. 26, ut si fuerit reservatum ad favorem personarum ecclesiasticarum. Rota p. 8, dec. 106, n. 7. Et hoc procedit etiam si fundatum fuerit de bonis laicalibus; adhuc enim censetur ecclesiasticum, licet emanaverit a laico, et de bonis laici, si competit ecclesiæ, vel personis ecclesiasticis ratione ecclesiæ. Rota part. 7, dec. 157, n. 5. Secus tamen, si fuerit relictum clerico sæculari, non intuitu Ecclesiæ, sed intuitu personæ. Rota part. 9, tom. I, dec. 289, n. 11 et 12. Quinto, Juspatronatus censetur esse ecclesiasticum, quando est relictum beguinis. Ipsæ enim beguinæ, licet sæculares, religiose vivunt, et habitu religioso amictæ incedunt. Rotap. 5, tom. I, dec. 144, n. 21. Sexto, censetur ecclesiasticum juspatronatus relictum confraternitati cum ordinarii auctoritate erectæ, cum ecclesia, campanili, usu sacri et aliis, ex quibus vere ecclesiastica reputanda veniat, secus si confraternitas sit erecta ad opera pietatis absque dictis requisitis, card. de Luca De jurepatronatus, disc. 59, sub n. 18. Rota part. 5, tom. I, dec. 144, n. 1.

(17. Juspatronatus esse laicale constat, et probatur etiam ex pluribus. Primo, quando est fundatum de bonis laicalibus, ejusque presentatio spectat ad laicum. Rota p. 9, tom. II, dec. 329, num. 27. Secundo, quando testator professus est se illud constituisse laicale. Rota p. 19, tom. I, dec. 242, n. 7. Et hoc procedit etiam si esset relictum Ecclesiæ; potest enim, hoc non obstante, a Testatore declarari et effici, quod illud non desinat esse laicale. Rota dicta dec. 242, n. 10. Tertio ex sententia ordinarii instituentis aliquem uti a patronis laicis presentatum. Rota part. 8, dec. 224, n. 8. Quarto, ex assertiva Papæ. Rota part. 6, dec. 186, num. 4. Quinto quando laicus est in quasi possessione juris presentandi. Rota part. 3, dec. 233, n. 3, part. 9, tom. III, dec. 329, num. 20. Sexto, quando nominatio est relicta

universitati laicorum, licet electio unius ex nominatis spectet ad ecclesiasticos. Rota part. 1, dec. 481, num. 6. Septimo, quando ad presentandum concurrunt major pars laicorum, quamvis etiam aliqui clerici presentent. Rota part. 12, dec. 250, num. 9 et 10. Hoc tamen procedit ad effectum evitandi derogationes et reservationes. Ad effectum autem temporis ad presentandum, nempe semestris, dicitur ecclesiasticum. Rota loc. cit. num. 11, 12, 13, et sequent. Octavo, quando juspatronatus spectat ad confraternitatem laicorum, cujus confratres non induuntur, nec distinguuntur aliquo signo religionis, et beneficium fuit fundatum laico, et de bonis profanis; Rota p. 5, t. I, dec. 144, n. 1 et 2, et dec. 290, n. 1. Barb. lib. III. Juris ecclesiastic. univers., c. 12, n. 15, cum plurimis aliis ibi citatis.

(18. Juspatronatus esse mistum constat, et probatur etiam pluribus. Primo, quando fundatio fuit facta ex bonis ecclesiasticis et laicalibus, seu patrimonialibus. Rota p. 3, dec. 273, sub num. 4. Secundo, quando fundatio facta fuit ex bonis ecclesiasticis, et dotatio ex bonis laicalibus, seu e contra: verb. gr. Si Ecclesia ex bonis suis fundaverit aliam Ecclesiam, et eam dotaverit laicus ex suis bonis laicalibus, seu e contra. Rota p. 12, dec. 162, num. 1, et doctores passim. Tertio, quando fundator statuit expresse quod juspatronatus spectet una simul ad clericos et laicos, quamvis totum fuerit fundatum ex suis bonis laicalibus et patrimonialibus, potest enim fundator remittere juspatronatus vel totum, vel ex parte, vel limitative illud inducere in præjudicium hæredum, prout ei liberit, arg. c. *Significavit* 41, De testibus, et cap. *Unic.* De jurepatronatus, in 6, et ibi notant doctores communiter. Quarto, quando quocunque alio titulo partim spectat ad clericos, et partim ad laicos. Rota tom. III, p. 4, dec. 655, num. 3, et part. 19, tom. I, dec. 129, n. 4.

(19. Juspatronatus tribus potissimum modis de Jure potest acquiri, scilicet fundatione, ædificatione et dotatione. Communis cum glossa in cap. *Pia mentis* 26, caus. 16, quæst. 7, ubi ad rem dat sequentem receptum versiculum.

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

(20. Hinc quilibet disjunctim vel separatim sumptus ex tribus dictis modis sufficit ad acquirendum juspatronatus. Communis cum Rota p. 4, tom. III, dec. 360, n. 52, part. 5, tom. II, dec. 432, n. 1, et sæpe alibi; Fagnan. in cap. *Quoniam* 3, De jurepatronatus, num. 2; Reiffenstuel, lib. III Decretal., tit. 38, n. 4; Pirhing, ibid., n. 6.

(21. Et quidem quod sola fundatio sufficiat ad acquirendum juspatronatus habetur clare ex cap. *Decernimus* 32, caus. 16, q. 6, c. *Quoniam* 3, et c. *Nobis* 25, De jurepatronatus. (22. Fundasse autem ecclesiam ad propositum proprie dicitur, sive quis eam in proprio fundo, seu solo suis sumptibus omnino construxerit; c. *Abbatum* 4, caus. 18, q. 2, cap. *Nobis* 25, De jurepatronatus, sive

etiam tantummodo fundum, seu solum ad eam ædificandam obtulerit ac donaverit. Lambertin. De jurepatronatus, part. 1, lib. I, quæst. 2, art. 2, n. 1 et 2. Barbosa lib. III Juris ecclesiastic. univers. c. 12, n. 28, et Communis aliorum.

(23. Quod sola ædificatio, seu constructio ecclesiæ sufficiat ad acquirendum juspatronatus habetur, expresse ex cap. *Monasterium* 33, caus. 16, q. 7, et cit. cap. *Nobis* 25. De jure patronatus ibi: « Si quis ecclesiam cum consensu Diocæsani construxit, ex eo juspatronatus acquirit. » (24. Ædificasse autem ecclesiam ad nostrum propositum proprie dicitur, qui eam cum consensu ordinarii propriis sumptibus construxit, arg. cit., c. *Monasterium* 33, caus. 16, quæst. 7, et cit. cap. *Nobis* 25, De jurepat. Qui vero sine consensu ordinarii eam construit, cum illicite agat arg. cap. *Nemo* 8, *De consecr.* dist. 1, non acquirit juspatronatus, ut cum communi doctorum recte notat Fagnanus in cit. cap. *Nobis*, n. 4. Item ædificasse censetur quantum ad præsens, qui ecclesiam penitus destructam suis sumptibus cum consensu ordinarii eam reædificat, in quo casu primus ædificans, si nolit eam reædificare, amittit, et reædificans acquirit juspatronatus. Talis enim censetur ecclesiam ædificare, cum perinde sit ac si ecclesiam primitus ædificasset, arg. cap. *Consuluit* 7, De judæis, et tenet Communis doctorum cum Glossa in cap. *Quoniam* 3, De jurepatronatus, verb. *Fundatores*. Si vero ecclesia non sit penitus destructa, sed solum in aliqua parte, ex refectione et reparatione illius, non acquiritur juspatronatus. Communis cum Glossa loc. cit., etiam si successive diversis temporibus per partes tota fieret nova, quia adhuc eadem ecclesia esse censetur, adeoque primus ædificator non desineret esse patronus, arg. l. *Quid tamen*, § 1, vers. Plene, ff. Quibus modis ususfructus amitt. Azorius p. 2, lib. VI, cap. 19, q. 10. Pirhing lib. III Decr., tit. 33, num. 8. Reiffenstuel ibid., n. 8, et alii passim.

(25. Quod sola dotatio sufficiat ad acquirendum juspatronatus habetur clare ex c. *Filiis* 31, cap. 16, quæst. 7, et concil. Trident. sess. 14, *De Reform.* cap. 12, et sess. 21, eod. cap. 7, ubi sola dotatio pro sufficienti causa acquirendi juspatronatus agnoscitur. (26. Dotasse autem ecclesiam quantum ad propositum censetur ille, qui ei sine dote fundatæ et constructæ congruam dotem assignat,tribuendo ei sufficientes redditus, seu annuos census pro ministris ecclesiæ, pro paramentis, pro luminaribus, aliisque necessariis, arg. cap. *Quicumque* 30, et cap. *Filiis* 31, caus. 16, quæst. 7. Qui tamen non tribueret dotem sufficientem, non diceretur patronus, sed tantum Benefactor ecclesiæ, ut expresse declaravit Sacra Congregatio, apud Garciam De beneficiis p. 5, cap. 9, n. 52, his verbis: « Dotans insufficienter, quod arbitrabitur ordinarius, non acquirit juspatronatus, sed dicitur benefactor. » Item censetur quantum ad præsens quis dotare ecclesiam, quando dos primitus ei assignata om-

nino pe. t., et antiquus patronus non vult amplius illam dotare; bene vero ipsam sufficienter dotat ille alius; tunc enim antiquus patronus amittit juspatronatus, et illud acquirit qui de novo sufficienter dotat ecclesiam. Fagnanus in cap. *Quoniam* 3, De jurepatronatus, n. 59. Reiffenstuel, loc. cit. n. 9. Pirhing, loc. cit. num. 9, et alii passim.

(27. Quando unus et idem simul fundat, ædificat et dotat ecclesiam, tunc solus ipse acquirit juspatronatus. Quando vero plures concurrunt, ita ut unus fundet, alter ædificet, et tertius dotet, tunc acquiritur omnes Juspatronatus in solidum, et una simul in solidum evadunt Patroni, arg. c. *Filiis* 31, caus. 16, qu. 7, et tenet communis doctorum cum Fagnan. in cit. c. *Quoniam* 3, De jurepatronatus n. 49. Garcias l. c., n. 52. Abbat. ad Rubr. de jurepatronatus, num. 6. Pirhing, loc. cit., n. 7. Reiffenstuel loc. cit., num. 10. Item quando plures concurrunt ad unam ex tribus causis, seu modis allegatis, v. gr. ad solam fundationem, vel ad solam ædificationem, vel ad solam dotationem, evadunt omnes simul patroni, et æquale juspatronatus acquiritur respectu illius tituli. Sic expresse declaravit Sacra Congregatio apud Garciam loc. cit., n. 53, et tenet citati Doctores, aliique passim. (28. Juspatronatus, seu presentandi prælatum in ecclesia regulari seu collegiata, etiam de diocæsani episcopi consensu, non acquiritur ex fundatione, ædificatione et dotatione, sine particulari privilegio apostolico; cap. *Hinc est etiam* 39, caus. 16, quæst. 1, et cap. *Nobis* 15, De jurepatronatus. Rota part. 2, recent. dec. 421, n. 2. Fagnan. lib. III Decretal. in cit. capit. *Nobis*, num. 14. Lambertin. lib. I, quæst. 5, part. 1, art. 1, num. 10 et 11. Puteus lib. II, dec. 466, n. 4, et seq. Barbosa lib. III Juris eccles. univ., cap. 12, n. 48, citans alias Rotæ decisiones, aliosque doctores. (29. Id tamen est intelligendum de jurepatronatus in tota Ecclesia; secus vero in aliquo altari constructo vel construendo de ordine testatoris in dicta ecclesia regulari, seu collegiata; quia tunc sufficit solum consensus regularium seu capitularium, ut firmavit Rota in Segobiensi Capellanæ 26 Februarii 1626, coram bor.æ memo. iæ Ubaldo in vers. *Non obstat secundo*, et ex aliis refert, et tenet Barbosa loc. cit., n. 48.

(30. Præter supradictos tres modos et causas acquirendi juspatronatus, potest idem acquiri adhuc aliis duobus modis, scilicet privilegio, et præscriptione. Juspatronatus, acquiritur privilegio, quando Summus Pontifex alicui de ecclesia benemerito, vel ob aliam causam illud concedit, quamvis ecclesiam nec fundaverit, nec ædificaverit, nec dotaverit; Papa enim de plenitudine potestatis de cunctis beneficiis habet plenariam potestatem, textu expresso in c. *Licet* 2, De præbend. in 6. (31. Non potest tamen juspatronatus acquiri privilegio episcopi vel alterius prælati Papa inferioris, ut clare patet ex cap. hoc *Consultissimo* 2, De rebus eccles. non alienand. in 6, et fuit declaratum a Sacra Congregatione apud Gar-